



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Bibliotheca Rhetorum

In quo Causae Forenses, Liber Epistolarum, Liber Fabularum, Et
Oratiunculae

Le Jay, Gabriel François

Ingolstadij, 1726

Marcellus Lentulo adversis rebus laboranti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71049](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71049)

tis, cujus te custodem frustra rigidumque satellitem ostentas. Quid enim promotes, dum violentæ cupiditati frænum injicis, & sana consilia non audientem revocare ad officium pertentas? Nescis posse omnia Reges, quæ volunt, nec facile deterreri eos à volendo, quod libido semel persuasit? Sine illum suis vivere legibus, qui leges æquitatis non audit. Cur te alieno exitio implicas? cur amicos tuos, affines, liberos, conjugem tecum in ruinam abripis? Nam quod erit nobis te sublato perfugium? cui desolatam familiam relinquis? Quid agam tibi superstes? Fallosor; nec superstitem fore me tibi arbitreris. Unum idemque fatum nos involvet. Te sequar, quocumque iveris. Non me terret mors ipsa, nec ullum moris genus me timidam facit. Aut igitur tecum mori me jube, aut me vivere si voles, fac ut saluti tuæ quamprimùm consulas.

MARCELLUS LENTULO

Adversis rebus Laboranti.

Consolatoria.

Non est, mi Lentule, ut reris, magnis viris amica semper fortuna. Imò ea est plerumque illius inconsiderantia atque cæcitas, ut, dum probatissimos & omni laude cumularos viros deprimit, homines nullius nominis evehæ atque extollat. Id verò, si miseris omnibus, tibi certè fortis acerbiter expostulanti singulari debet esse solatio. Cùm enim ærumnosum te & infelicem fatentur omnes, tum nemo est, qui egre-

N a

gias

gias animi tui dotes palàm non prædicet. constantèrque defendat, nullum unquam extitisse, in quem iniquitàs, quàm in te, fortuna peccaverit. Hanc ergo, quam concitasti opinionem tui, vide, ut tueri ac sustinere possis. Debes omnibus exemplum illius constantiæ, quam in utrâque fortuna exhibendam toties ipse pronunciasti. Noli tamen abjicere spem omnem fortunæ melioris. Ut est illa cæca, ita & naturâ suâ levis; quo fit, ut, quàm temerè descivit à quibusdam, tam facilè ad eosdem revolet.

FILIUS ADOLESCENS

P A T R I,

Ut agere Personam in Theatro sibi liceat.

Petitoria.

Quod commendasti mihi sæpiùs, ut singularem in dicendo leporem ac gratiam concesser assequi, id ego, Pater amantissime, non cesso frequenti usurpare memoriâ, &, quæcumque se offerunt id perficiendi, quod cupis, occasiones diligenter aucupari. Verùm inter cætera, quæ juvare adolescentem possunt, & in perfectâ dicendi facultate fructus uberes meditantem promovere; nihil vidi hæctenus, quod plus animi simul ac roboris afferret, quàm ea, quæ in exhibendis Tragædiis adhiberi quotannis solet, exercitatio. Equidem nôvi rem esse arduam ac difficilem, personam tam solenni in Theatro sustinere. Tamen nisi me fallunt ij, quorum eq
de